



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, 1734

VD18 90392140

Q. 1. Quid, & quotuplex est Privilegium?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40986

tantis tenetur subditus in conscientia fructus illos restituere.

Resp. V. Lex non irritans ipso facto actum, sed solum præcipiens ejus irritationem, non obligat privatas personas ante sententiam Judicis, ad irritandum actum: cum irritatio sit actus proprius potestatis publicæ; & ita si non fit per legem, fieri debet per Judicem, cui soli illam Lex præcipit. Neque etiam obligat ad ea, quæ ex actûs irritatione per se consequuntur, quia nondum est irritatio actûs ante sententiam Judicis.

CAPUT IX.

De Privilegio, & Consuetudine.

Q. I. **Q**uid, & quotuplex est Privilegium?

Resp. Privilegium est facultas constans, ac permanens, à Superiore concessa, agendi, vel non præstandi aliquid contra, vel præter legem. Hinc differt à dispensatione, quæ solum est ad actum, vel casum particularem, nec est permanens, sed transiens, & semper est relaxatio legis. Dividitur præcipuè I. in Reale, quod conceditur ratione rei, muneris, conditionis, vel statûs; & in Personale, quod

quod directè conceditur ratione, seu intuitu personæ. Hoc affixum est personæ, & cum ea extinguitur, *Reg. 7. Fur. in 6.* Reale verò affixum est rei, & cum ea perseverat, & perit. 2. In Privilegium contra legem, quo datur exemptio ab oneribus communibus; & in Privilegium præter legem, quo conceditur aliqua facultas iis, quibus de jure non competit, sed sine ullius damno, nec contra legem aliquam. Prius est odiosum, & strictæ interpretationis, cum gravet alios; nisi datum sit in favorem causæ piæ, vel publicæ, aut communitalis Religiosæ. Posterius est amplæ interpretationis, quia nullos gravat.

Q. 2. Quis Privilegium concedere potest?

Resp. Is omnis, & solus, qui potest legem ferre, & iisdem, quibus potest, legem ferre, nempe subditis: potest tamen, & aliis non sibi subditis aliquid circa se, suæque concedere, quod jure communi non haberent.

Not. Juxta Canonistas in generali concessione specialissima non comprehenduntur, nisi sufficienter exprimantur, ex *Regul 81. Furis in 6.* In generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus.

L 4

Q. 3.